



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

## PRÆFATIO.



Elebriores inter Chronologiæ Epochas primatum facile tenent hæ tres, Mundi conditi, JESU Christi nati, ac passi. Totidem eas sectionibus disquirit præsens Differtatio. Æram primam, quod attinet, mihi quoque arrisit opinio, quæ à Genesi rerum creatarum ad DEI Homini Natalis quater mille præcisè annos numerat. Rotundus hic quadraginta sæculorum numerus aptius memoriæ deservit, neque magno molimine elicitur ex ipsis SS. Pagine *Editionis Vulgate*, ut vocant. Uranici insuper Characteres, notæ Temporum irrefragabiles, illam summam confirmant. Pauculi eidem, ut quibusdam Chronographis placuit, additi vel detracti anni, nil præcisionis videntur superaddere genuinæ Mundi Chronotaxi, non parùm derogare simplicitati Historiæ. Illos porro Domini Natales intelligo, quos Dionysius Abbas Ævi sui insignis Chronicus olim constituit, orbisque Christianus subin usu recepit. Vera etenim Nativitatis Dominicæ Epochæ & ipsa apud Chronologos maximè controversa, minùs apta censetur ritè stabiliendæ Temporum intercapedini à creatione Mundi evolutæ usque ad Filii DEI adventum in hæc Terras. Quò solidùs Æram hanc alteram ego figerem, examen illius rejeci in Sectionem tertiam, illorum Scriptorum vestigia secutus, qui ex anno mortui pro hominum salute Redemptoris, Virginei Partus annum certius deducunt. Cæterum in ista Mortis

tis



tis salvificæ Epochæ tertiâ statuenda potissimus à me  
exhaustus labor, semel, iterumque mutatâ sententiâ,  
quam antehac etiam publicè in Academiis tuebar,  
quamcunque enim ex aliorum Lucubratis sectarer,  
jugiter in aliquibus anceps hærebam. Lustratâ deni-  
que attentius Antonii Pagi Cirticâ in Annales Baro-  
nii filum mihi porrectum autumabam, satis feliciter  
eluctandi ex hisce Labyrinthis. An reipsa evaserim  
chronographiæ peritiores dispiciant. Strictim ha-  
ctenus indicatorum rationes clarius patebunt ex ipsa  
Dissertatione, præsertim ex dicendis cujusvis Sectionis  
initiô. Si quid Benevole Lector hic boni, & excolen-  
dæ Temporum scientiæ proficui repereris, totum id  
uni bonorum omnium Lagitori DEO mecum tribuere  
memineris. Huic Regi sæculorum Immortali &  
Invisibili Soli honor & gloria in sæ-  
cula sæculorum,

